

## APÉNDICE SEGUNDO

### DISCORDANCIAS

#### ENTRE EL DOCTOR SAN LIGORIO Y EL PADRE GURY

Como el P. Gury anda en manos de todos, y adquirió alguna celebridad por su laconismo y por el orden con que trata las materias, me pareció conveniente copiar literalmente de las *Vindicias Alfonsianas* (edición de Roma de 1873) el apéndice 4.º, pág. 906, para que los que estudien á Gury, sepan en qué se aparta de San Ligorio.

#### APPENDIX IV

*Præcipuæ quæstiones in quibus P. Gury a S. Alphonso dissentit.*

3887. Textentibus nobis hanc seriem quæstionum in quibus P. Gury a S. Alphonso dissentit, non ea quidem mens fuit, ut claro scriptori crimini verteremus quod a S. Doctoris sententiis sæpius recesserit. Hoc enim vetitum ipsi non erat, ubi bonis rationibus moveri se putabat, dumque modeste (ut reapse factum est) rationum momenta exponerentur. Hoc unum in conferendis utriusque auctoris opinionibus adverti volumus, «frequentius quam» vulgo existimatur, discipulum a magistro secedere, maxime in posterioribus editionibus, ac præsertim in iis quæ adnotatæ a P. Ballerinio fuerunt.»—Repertas autem a nobis discrepantias, non omnes recensuimus; nam, neglectis compluribus, quæ minoris visæ sunt momenti, aut ex solo auctoris silentio arguuntur, eas præ ceteris notavimus quæ vel ad praxim magis spectant, vel novis rationibus a clar. Ballerinio munitæ fuerunt. Hinc, in subjectis paginis, subinde prout occasio se dabat, ad objectiones clar. adnotatoris respondimus: at obiter tantum et levi calamo, ne nimiam in molem opus excresceret.—Demum advertimus quoad modum citationum, numero romano, absque alia indicatione, designari alterutrum *tomum P. Gury, juxta duplicem editionem a P. Ballerinio adnotatam; vel libros Theologiæ Moralis S. Alphonsi.* Cætera S. Doctoris opera nominatim allegantur.

### TOMUS I

#### Tract. de actibus humanis.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

#### 1. An omissio voluntaria in causa sit in se peccatum?

Omissio actuum de quibus homo nullatenus cogitat, non potest esse nec indirecte quidem voluntaria; quia illi actus sunt impossibiles, cum sint penitus ignoti. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis in causa, si oblivio ex præcedenti negligentia proveniat.—Tom. I, num. 10.

Quæritur. Quot committat peccata, qui, officium in mare projiciens, reditur impotens ad recitandum? Hæc quidem quæstio pendet ab alia, an omissio voluta in causa sit in sese peccatum.—In ea quæstione... sententia verior affirmat, et hanc tenent Sancti Thomas... Propterea quoad casum nostrum respondetur, projicientem officium tot peccata committere, quot sunt omissiones quas prævidet, nisi peniteat primi peccati; nam alioquin perseverat voluntarium positum in causa: ita Sanchez... cum communissima. Lib. IV, num. 149.

#### 2. Quomodo intelligendum sit præceptum referendi virtualiter omnia in Deum?

Ad hanc (virtualem omnium operum relationem) duo requiri et sufficere (statuit S. Thomas): primum quidem ex parte operis, ut sit in Deum referibile, nempe, ut sit moraliter honestum, seu nulla mortalis aut venialis peccati labe infectum. Alterum ex parte agentis, ut aliquando eliciat actum charitatis, quo se et sua omnia in Deum tamquam ultimum finem ordinet.—I, 31, quær. 4.º, in fine.

Ad hæc (ut nullus actus in individuo sit malus aut indifferens) homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione et propter aliquem finem... Non requiritur quippe actualis relatio omnium sive verborum, sive operum, in bonum honestum, quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis; sed sufficit virtualis...—V, numer. XLIV.

#### 3. An, ut actiones sint meritoria, necesse sit agere ex motivo supernaturali?

Sicut non oportet quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine; ita ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo et charitate cogitet, sed sufficit quod prius per charitatis actum omnes actiones aliquando in finem, qui est Deus, ordinatæ fuerint. Vide S. Thomam...

Per lo merito de condigno si ricercano tre condizioni: una per parte dell'operante, l'altra per parte dell'opera, e la terza per parte di Dio... Per parte poi dell'opera, si ricerca ch'ella sia honesta, che proceda da motivo soprannaturale e sia riferita a Dio con intenzione almeno virtuale, allorchè si esercita, como dicono Silvio e Suarez.—Opera dogmat., sect. VI, num. 87, 88.



## Tract. de conscientia.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

## 4. Quid sit dubium positivum et negativum?

Dubium est *positivum*, quando mens suspendit assensum ob apparentem æqualitatem rationum; et *negativum*, quando mens suspendit assensum defectu rationum.—I, 40.

Dubium *negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes *probabiles*, sed tantum leves. *Positivum* est, quando pro utraque parte, *vel saltem pro una*, adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito: ideo dubium positivum *fere semper* coincidit cum opinione probabilis.—I, 20.

## 5. An liceat sequi opinionem probabilem, relicta vere probabiliori?

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore æque probabili, *vel etiam vere probabiliori*, ubi de solo licito vel illicito agitur.—I, 60, *Quarta thesis*.

Dico, quod si opinio quæ stat pro lege *videatur certe probabilior*, ipsam omnino sectari tenemur.—I, 56.

Prima (sententia) est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior...; sed nos dicimus *eam esse laxam*, et licite amplecti non posse.— *Homo apost.*, tract. I, num. 31.

Nec dicas quod, deficiente lege directe certa, existat alia *lex indirecte certa*, id est, certo cognita, pariens obligationem certam; nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest...—I, 63.

Ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi; at ubi veritas clare inveniri nequit, *tenemur amplecti saltem opinionem illam quæ proprius ad veritatem accedit*, qualis est opinio probabilior... Quoties enim intellectui diserte apparet veritatem multo magis stare pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa parti minus tutæ adhærere...—I, 56.

## 6. An opinio probabilis remaneat solide probabilis in concursu notabiliter probabilioris?

Objic. 4.<sup>o</sup> Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a majori eliditur et destruitur; ergo... Resp. neg. Etenim, si elideretur mi-

At recte respondent (nempe, probabilioristis) auctores nostri, falsum esse majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauria-

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

nor probabilitas, jam *major probabilitas evaderet certitudo*, seu *dubium prudens excluderet*. Hoc autem esse falsum, manifeste patet. Insuper rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petitiæ, se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meæ, non obstante opposita probabilitate, in toto suo robore stabunt, *usquedum eas esse falsas probaveris*.—I, 71.

tur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se *tan convincens argumentum*, ut contraria vere improbabilis, *vel non amplius graviter et certo probabilis videatur*. Secus tamen dicendum, *si excessus non sit notabilis*, et probabilitas opposita ex diversis principiis (ut fere semper accidit in opinionum concursu) vim accipiat.

7. De usu axiomatis: *Melior est conditio possidentis*.

Quæritur 5.<sup>o</sup> Quomodo intelligendum sit axioma: *In dubio melior est conditio possidentis*, et quinam ejusdem usus in conscientia efformanda?—Resp. 1.<sup>o</sup> Hæc regula, prout a doctoribus tradi et admitti in scholis consuevit, *nunquam* de statu opinionis, sed solum *de statu dubii presse sumpti intellecta et recepta fuit*. Inter dubium autem et opinionem hoc semper discrimen extat, ut illud omnimodam assensus suspensionem inter duo contradictoria importet; hæc vero assensum in alterutram partem, licet non sine formidine oppositi.—I, 79.

Hoc autem secundum principium, licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes, quod valet tantum pro foro, vel tantum in materia justitiæ; ego tamen nescio, quomodo in omnibus negari possit. Quæstio tantum esse potest *an in quolibet dubio morali possideat lex*, aut libertas. Antiprobabilistæ dicunt, semper legem possidere; nos vero dicimus, aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe, *cum lex non est adhuc promulgata*...—I, 26.

## 8. Si dubitas utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?

Communissima et prorsus rationi consona sententia est, eum, qui *probabiliter* alicui obligationi satisfecit, *ad nihil* ulterius teneri.—I, 80.

Si quis *probabiliter* judicet se implevisse votum, Horas canonicas, sive poenitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit vel dubium non implevisse? Negant plures auctores. Sed *oppositum est tenendum*; quia possidet obligatio jam contracta, *donec certe non fuerit impleta*.—*Quæst. rec. reform.*, num. 1.

## Tract. de legibus.

## 9. An lex humana possit præcipere actus mere internos?

Lex civilis certe non potest. Lex ecclesiastica *juxta plures* etiam non potest... S. Ligor., S. Thomas, Sua-

Probabilius negant Salmant. cum S. Thoma, Cajetan., Suarez, Bonac., etc., *contra alios*; quia legislator



P. GURY.

S. ALPHONSUS.

rez, Bened. XIV, etc., contra alios, qui *probabiliter* etiam affirmant.—I, 89, quær. 2.

10. An a peregrinis servanda sit lex particularis loci ubi reperiuntur, si eadem lex in eorum territorio viget?

Probabiliter non tenentur peregrini ad legem particularem illius loci servandam, *etiamsi eadem lex particularis* in suo territorio vigeret. Reuter... contra S. Ligorium.—I, 95-6.

Probabilior videtur (sententia) quæ dicit, advenam non teneri legibus loci ubi non moratur... *Limitatur* vero hæc sententia, *si eadem leges vigeant* in patria peregrini.—I, 156, in fine.

11. An leges pontificiæ obligent statim ac promulgatæ sint?

Affirmative. Lex enim promulgata statim vim habet, et obligat in actu, ut ajunt, secundo, eos omnes qui eam agnoscunt.—I, 97, quær. 2.

Dubit. *an tempus duorum mensium*, requisitum ut leges cæsareæ post earum promulgationem obligent, *etiam quoad leges pontificias... requiratur*. Alii negant; sed *probabilissime* affirmant alii plures graves doctores.—*Homo apost.*, tract. II, 8. (I. 96, quær. 2.)

12. An Papa dispensare possit in iis quæ absolute a Dei voluntate pendent?

*Controvertitur* an vere dispensare possit ex gravissima causa, vel tantum declarare jus divinum tunc cessare.—I, 115, quær. 1.

*Communior et probabilior* (sententia) *negat universaliter*... Nihilominus *valde probabiliter* dicunt Sotus, etc., quod Papa *in aliquo casu particulari* bene potest non jam dispensare, sed *declrare* legem divinam in illo casu particulari non obligare.—*Homo apost.*, tract. II, 56.

13. An petenda sit dispensatio in dubio an casus indigeat dispensatione?

Non requiritur dispensatio in dubio *positivo*, seu cum probabile est casum lege non comprehendi. In dubio vero *an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, controvertitur*. Quidam enim contendunt requiri dispensationem. Alii tamen *melius* negant. Ita S. Ligor.—I, 118, quær. 4.

Sive dubium sit *positivum*, sive *negativum*, potest subditus uti sua libertate. Quid in dubio *an causa* quam habens *sit sufficiens* ad te excusandum a lege? Quidquid dicat Salas, *verius est te teneri ad legem*; quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem.—I, 192; 97, in med.

Tract. de peccatis.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

14. An ad peccatum actuale requiratur necessario advertentia actualis?

Ad peccatum actuale *requiritur necessario advertentia actualis*... Contradicunt quidem plures, asserendo sufficere ad peccatum advertentiam virtuales seu interpretativas... Sed hæc sententia *omnino rejicienda est*. Etenim nihil potest esse volitum, nisi eo modo et tempore quo est cognitum... Peccatum igitur *absque actuali cognitione* commissum est mere materiale.—I, 144.

Meum proferam sensum... Si dicatur ad omnia peccata mortalia necessario, exposci actualem et expressam advertentiam, *hoc utique falsum est*; quia multipliciter evenire potest quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, *bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus*, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.—V, 4; *Homo apost.*, tract. III, 27, 31.

15. An in peccatis voluntariis in causa, reatus tunc tantum contrahatur cum ponitur causa?

Si fuit peccatum vere voluntarium in causa, tunc necessario affuit aliqua cognitio; ac proinde *tunc* peccatum patratum fuit. De aliis peccatis quæ sunt voluntaria mere in causa... tunc reatus contrahitur, cum causa ponitur voluntarie; et cum totus reatus in causa resideat, eodem modo hic aderit, *sive actus ejusmodi consequantur, sive non, et sive pauciori, sive majori numero iidem frequententur*.—I, 144-2; 145-6.

Illi qui secundum suam passionem operatur, bene imputabitur *omnis pravus effectus* tali passioni conexus, licet in particulari non *agnoscatur*; quia cum homo passionem aliquam amplexatur, consequenter ipse amplectitur omnes effectus *communiter* ex illa passione provenientes... Existimamus, eum qui ita non advertit ad peccati malitiam ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam advertere non possit, peccato non teneri... Verum aliter dicendum de actionibus quas eliciunt aut omitunt viri terrenis rebus absorpti, passionibus suis servientes, *assueti ut nequidem cogitent se non cogitare*.—V, 4, med. et vers. fin.

16. Quot peccata committit is qui pecuniam determinatam furari intendens, eandem pluribus vicibus subripit?

*Unicum facit peccatum* qui summam aliquam determinatam pecuniæ furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit; quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur.—I, 163-5.

Si quis *ex intentione* furandi centum aureos, *centenis* vicibus moraliter interruptis ea subripiat, tunc *centum peccata committit*; quia singuli actus habent in se consummatam malitiam.—V, 44; *secund. elench. prop. reform.*, quær. 6.



P. GURY.

S. ALPHONSUS.

17. An unum vel plura peccata constituent objecta materialiter et physice distincta, quæ ad unum actum referuntur; atque adeo numerus horum objectorum in confessione sit exprimendus?

Controvertitur. Alii... unum esse peccatum dicunt; alii cum S. Alphonso plura esse peccata volunt. Sua utriusque sententiæ probabilitas favet. Hinc probabiliter unicum facit peccatum, qui unico actu plures fœminas desiderat, plures homines occidere intendit vel rapit crumenam ad plures socios pertinentem.—I, 163-8.

Sententia *communior*, quam sequimur, et tenent Cont. Tourn... cum aliis innumeris, docet diversitatem objectorum totalium bene constituere diversa numero peccata... Hinc inferitur *diversa numero peccata* committere eum, qui uno ictu plures homines occidit, vel pluribus detrahit...; qui unico actu optat ad plures fœminas accedere...; qui pluribus unica vice scandalum præbet.—V, 45, 46.

18. An explicanda sint in confessione media ad peccatum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?

Alii affirmant, etiamsi media illa non fuerint mala in se... Alii vero negant probabiliter, nisi media ista in se mala sint; et tunc indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, aut verba obscena ad sollicitandum adhibita.—I, 164.

Explicanda sunt, tamquam distincta peccata, *omnia media posita ad peccatum consummandum, si postea peccatum non consummetur*, ut ait Viva cum *communi*. Et hoc non solum si prædicta media per se sint mala..., sed etiam si sint *indifferentia*... Ita valde probabiliter dicit Viva.—V, 42; *Prax.*, num. 39.

19. An plura peccata committat qui unico actu pluribus detrahit, vel uni tantum coram pluribus?

Resp. ad 1.<sup>um</sup> *Controvertitur*, et duplex datur sententia probabilis.—Resp. ad 2.<sup>um</sup> *Controvertitur*. Probabiliter *unicum* tantum facit peccatum; quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans.—I, 165, *quær.* 2.

Hinc dicimus, *plura committere peccata* qui... unica detractioe multos unius familiæ infamat, aut unico sermone pluribus est scandalo.—*Homo apost.*, tract. III, 64.

20. An delectatio morosa induat malitiam specificam circumstantiarum, ut desiderium et gaudium?

Controvertitur. *Neg. probabiliter*. Ratio est, quia simplex delectatio... quiescit (in objecto) ut repræsentato per intellectum. Porro intellectus præscindit ab aliis proprietatibus objecti, præter illam quæ delectationem movet.—I, 170.

In *praxi* dico... *sine dubio esse explicandas* in delectatione omnes objecti circumstantias, quia in illa adest *periculum proximum* desiderii pravi peccandi cum hujusmodi persona.—*Homo apost.*, tract. III, 48. (V, 15.)

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

21. An liceat delectari de re mala ob bonum effectum inde sequutum?

Non licet delectari de re ipsa mala in se spectata, quia objectum delectationis est semper malum. *Licet tamen delectari ob bonum effectum* qui inde provenit, dommodo ordo charitatis non violetur.—I, 173-4.

Distingue. Si opus fuerit formaliter malum, nempe, quia *cum peccato* patratum fuit, peccat qui de illo delectatur, *etiamsi delectetur* de opere malo... ut *causa effectus secuti*... Si vero opus malum patratum fuit *sine peccato*, sentiunt Les. et Vazq... licitum esse de illo delectari... ut causa boni effectus. *Sed verius est tenendum oppositum*.—V, 20.

22. An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam faciendam?

Controvertitur. Negat S. Ligorius cum aliis; quia ebrietas directe intenditur, et bonus effectus ex malo sequeretur. *Affirmat* vero Busemb... *Et reapse*, sicut adhibetur in tali casu opium et æter, ita etiam vinum adhiberi posset.—I, 182, *quær.* 3.

Sententia (affirm.) satis probabilis, imo probabilior mihi videtur, casu quo potatio vini præbeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores... *Secus vero dicendum*, si potatio daretur directe ad ebrietatem sive ad privationem rationis causandam... Hinc, ut bene advertit Croix, *numquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos*, ne cruciatus sentiantur.—V, 76.

## Tract. de virtutibus.

23. An requiratur fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis de necessitate medii?

Duplex datur sententia probabilis. 1.<sup>a</sup> sententia omnino affirmat... Hanc probabilior dicit. S. Lig.; 2.<sup>a</sup> sententia, *quæ videtur probabilior*, negat.—I, 195, *quær.* 1.

Prima sententia, quæ est *communior*, et *videtur probabilior*, docet credenda esse de necessitate medii... Secunda vero sententia, *satis etiam probabilis*, dicit..., necessitate medii sufficere si credantur implicite.—II, 2.

24. An possit absolvi ignorans mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis?

Non potest licite extra casum necessitatis, v. gr., periculum mortis... *Probabilius potest absolvi valide*, si versatur in ignorantia invincibili.—I, 196.

Cum ipse (pœnitens bona fide confessus) adverterit confessionem suam ob ignorantiam (horum) mysteriorum fuisse *probabiliter validam*, sed etiam *probabiliter nullam*, tenetur, postquam de illis mysteriis instructus fuerit, confessionem iterare.—II, 2, in fine.